



**I**nter præcipuos Tuisconis comites etiam Adulas, Diclas, Obalus, & Epyrus extiterunt, quos Germanorū rex uarijs prouincijs uirtutis ergo præfecit. Adulas superiores partes uersus Fauonium tenuit, cuius nomen mons altissimus inter Oenum & Rhenum etiam nū refert. Alij uerò alijs in partibus Europæ, hominibus iussi leges dixerunt, ita ut uerisimile sit Epyri regionem, Colonia eò deducta, ab Epyro uicesimo duce, primitus denominatam fuisse. Vbi tamen illi gentium confederint, temporis uetustate abolitum, & nusquam literis proditū extat. Hac ratione cum Tuisco finitimis prouincijs duces & gubernatores constituisset, ipse Germaniæ pene-

tralia sua præsentia ad finem uitæ feliciter administrauit, undique cum suis cōsanguineis pacem colens. ita ut mortalium genus auctum, atque in omnibus illis partibus latissimè propagatum fuerit. Posterī tamē horum ducum à Tuiscone & eius progenie pleriq; defecerunt, atque paulatim nouis subinde hominibus extrinsecus eò succedentibus, & linguam & nomen Teutonicæ gentis ferè amiserunt. Berofus,